

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0503

0501

0507

0497

0512

0492

0552

0452

0602

0402

1002

0002

Ende

Anfang

489

quia Moyses tabulas illas confregit et scriptura amplius legi non potuit, nec fracturis illis gaudere populus debuit, potest etiam sustineri, quod quando Moyses tabulas petrae allisit, quod mox in pulverem inutilem redactae fuerunt. Secundae autem tabulae, de quibus Exodi 34. habetur, fuerunt per Moysem quidem dolatae et excisae et per Dei digitum conscriptae. Judaei dicunt, quod Dominus ostendit Moysi massam sapphiri, de qua dolavit duas tabulas, et de reliquis et excisis frustellis fuit Moyses valde ditatus. Quid autem ista veritatis habeant, committo discreto viro; nullum errorem inducunt, sicut nec fictiones poeticas, quas etiamdum occur- runt, induco.

Consequenter contra monasterium ascendimus et ostendit nobis frater Nicodemus moutem cohaerentem monti Oreb, non multum altum respectu Oreb, et illum montem dicunt esse montem Moysis. In hunc montem ascendit Moyses cum Aaron et cum LXX senioribus, quando videbant ibi Deum Israel et sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphiri et quasi coelum, cum serenum est, ut habetur Exod. XXIV. Et de hoc monte jussus est Moyses in montem Oreb ascendere; est enim mons ille in accubitu montis Oreb ad aquilonem. Ad peculiares etiam orationes et ad recipiendum responsa Dei in singularibus caassis adscendere consueverat Moyses hunc montem, in quo creditur Dominus sibi saepe apparuisse. Contra hunc montem adoravimus et ulterius progressi in locum circumseptum venimus prope monasterii muros. Ibi est fratrum monasterii se- pultura. In hoc ergo loco orationes pro defunctis legimus et sanctos ibi tumulatos honoravimus. Sunt enim ibi sepulti plus quam novem millia fratrum in libro conventus nominati conscriptorum, inter quos nemo dubitat multos sanctos fuisse. De coemeterio ingressi sumus monasterium et reperi- mus augmentatum numerum Arabum juxta nos. Coenam au- tem coximus et fratrem Nicodemum invitavimus ad coenam rogantes eum, ut disponeret cum domino abate, quatenus die crastina ostenderentur nobis reliquiae S. Catharinae et alia sancta monasterii loca. Et hoc factum fuit, ut patebit. Tristes autem horas duximus, quia continue augmentari vidi- mus Arabum numerum contra nos.

